



Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi

Sandaeus, Maximilianus

Antverpiae, 1647

94. Cruci ferreæ infidens, dira ob Crucifixi amorem patitur, tanquam
criminis reus, Socii tres Belgæ. Joannes Baptista Boddens. Gerardus
Paesman. Philippus Nottin.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55449](#)

158 SOCIETAS IESV

prius morbo confectus est, quam refici posset Sacramento. Quid ergo commentus est verus CRVCIFIXI Amator? Cum id probè adverteret eventurum, omnino voluit humi collocari, ubi suavissimè cum Jesu CRVCIFIXO colloquens è vitâ excessit; colloquio eo cum Dilecto suo, Viatici vice usus.

Annuæ litt. è Sinis M. D. LXXXVI. Et è Iaponia e jussdem anni B. S.

IV.

AMATOR CRVCIFIXI

*Cruci ferrea insidens dira ob Crucifixi
amorem patitur, tanquam
criminis reus.*

94.
SOCI
TRES BEL
GAE.

ANNO M. DC. XXXVIII. Tres de Societate Jesu, Trajecti ad Mosam à Religionis Catholicæ adversariis per summam injuriam capite plexi sunt, post toleratos immanes cruciatus, obtenu quidem proditionis intentatæ, aut minimum cogitatæ; re tamen ipsâ, ut passim constitit, in odium fidei Apostolicæ, Romanæ, Orthodoxæ. Quamobrem pro veris CHRISTI, per sumnum scelus CRVCIFIXI, Maryribus eos coli accepimus. Torturæ genus fuit insolens per CRUCEM, non ad suspendendum, sed ad sedendum, in hanc ferè formam. CRUX erat ferrea decussata, humili sca-

scabelli in modum, non omnino acuta, nec adeo obtusa, quin reus nudus insidens, altè eam, mole corporis gravante admitteret: vocetur imposterum CRUX TRAIECTENSIS. Manus pedesque revinctus, per extremos digitos ad tergum, manicis & compedibus aculeatis onustus sedebat: collo injectum collare ferreum triplici aculeorum ordine, sursum, deorsum, & directè obversorum, ne quò se miser sine dira dilaniatione posset convertere; nam collare pendebat à quatuor ergastulis illigatum.

Tum verò ignis struebatur luculentus, quo homo immotus torreretur. Pellis flammorum vi divulsa, ubi in postulas evaserat, ferro secabatur, & acetum sale & pulvere pyrio mistum infundebatur. In hāc CRUCE sunt tres Socii ustulati fœdissimè: collum illis laceratum, pudenda semi ambusta, vulnera, quæ hiantia deinde manserunt, inficta. Tandem verò extremo suppicio, cùm innocentiam suam publicè testati essent, fuerunt affecti. Nomina sunt:

JOANNES BAPTISTA BODDENS,
Rector Collegii.

GERARDVS PAESMAN, Sacerdos.

PHILIPPVS NOTTIN, Adjutor temporalis.

Relatio de hac re typis vulgata. Index Martium Societatis à numero 262.